

GRATTIANUM

,Dona cano divom': his verbis Grattius cum Cynegetica sua exorditur, eandem proferre videtur de rei venatoriae origine sententiam, quam Xenophon olim protulerat sive is qui libellum illum *Κυνηγητικόν* composuit: τὸ μὲν εὖρημα θεῶν, Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος, ἄγραι καὶ κύνες· ἔδοσαν δὲ καὶ ἐτίμησαν τούτῳ Χείρωνα διὰ δικαιοσύνην¹⁾. Sed verbis in-

¹⁾ Sequitur catalogus eorum, quos a Chirone artem venatoriam didicisse scriptor sine dubio ipse finxit. De quo catalogo nuper W. Baehrens, *Mnemos.* LIV 1926 p. 140 ss., ita egit, ut de ordine, quo venatores illi enumerantur, omnisque catalogi ratione rectius iudicaret. Atque Cephalum in honorem Cephalidarum, gentis Atticae, extra ordinem primo loco positum esse perspexit, ceteros heroes nominibus Aesculapii et Achillis includi, qui cum iam pridem discipuli Chironis perhiberentur, occasionem scriptori dabant atque facultatem, ut reliquos quoque Centauro illi iustissimo artiumque peritissimo in disciplinam traderet. Quorum heroum seniores a iunioribus eum separasse manifestum: atque illos quidem omnes fabulae Calydoniae debet, hos autem (uno excepto Hippolyto, qui Theseo facile adnectebatur, ut transitus fieret ad alterum saeculum) ex belli Troiani memoria eum sumpsisse apparet, cum fortissimos bellatores eosdem venatores strenuos suo iure haberet — alios autem Chironis discipulos, qui neque huc neque illuc pertinebant, omnino in censum non vocavit. Ceterum Calydoniis addendi fratres Helenae, quos cur iunioribus adiungeret satis ei causae esse videbatur, Troicis fortasse Nestor, quamquam eum quoque Ovidius *Met.* VIII 313 non suo Marte Meleagri turbae adnumerasse videtur. Hos igitur venationi illi celeberrimae interfuisse Xenophon sciebat: Aesculapium (*Hygin. fab.* 173; quem heroibus mortalibus immiscere plerosque noluisse non mirum), Melanionem, Nestorem (?), Amphiarum, Peleum, Telamonem, Meleagrum, Theseum, Castorem, Pollucem; accedit Atalanta ex 13, 18. Iam vero Baehrens, hunc catalogum cohaerere ratus cum figuris aedis Minervae Aleae, quam Scopas post a. 395 Tegeae aedificavit (*Paus.* VIII 45, 6), haec parum feliciter scripsit: ,Pro Atalante necessitas auctorem prooemii, qui non nisi viros nominabat, coegit eius maritum Melanionem substituere.' Immo artius catalogus Xenophonteus cohaeret cum eo vasculo celeberrimo, quod Clitias et Ergotimus confecerunt: in quo vasculo Melanionem Atalantae latus tegentem videmus, quippe qui una cum illa ex Arcadia Calydonem venerit (cf. Wilamowitz, *Hellenistische Dichtung* II p. 59 n. 2, *Sitzungsber. Preuss. Akad.* 1925 p. 219 s., *Aristophanes Lysistrate* p. 169 s.); Scopas cum

sequentibus poeta ille Romanus antiquam sententiam quodam modo emendatiorem accuratioremque exhibet: non omnem enim venationem vel potius cum bestiis pugnam, sed artem tantum venandi, ‚laetas venantibus *artis*‘, a deis derivat; priscis autem temporibus homines sine huius artis beneficio cum feris contendisse docet: ‚nuda‘ virtute, i. e. ‚arte et dolo vacua‘ (R. Stern), illi utebantur et omnis in ‚armis‘ erat spes — utrum ‚armos‘ dicat (ut contenderunt Barth, Burmann, Miller, Fiegl, Bögel in Thes., Vollmer) an ‚arma‘ (id quod Enkius, editor novissimus¹), cum aliis compluribus probavit) valde dubium, quamquam non plane inermes illos fuisse putavit, sed rudibus quibusdam armis instructos fuisse (cf. Lucr. V 966 ss. Hor. sat. I 3, 101), artificiosioribus vero machinamentis prorsus caruisse. Ne canes quidem tunc ‚bello ferino‘ defuerunt, quorum usum Xenophon et ipsum a dis profectum esse praedicavit; apud Grattium enim v. 151 ss. haec legimus, quae interpretes adhuc non satis intellexisse mihi videntur:

‚*prima* illa canum, non ulla *per artis*‘²)

cura prior, sive indomitos vehementior hostis

nudo Marte premas seu bellum *ex arte* ministres‘.

‚Nudum‘ igitur ‚*Martem*‘ hoc loco ‚*arti*‘ opponit aequae ac ‚*nudam virtutem*‘ v. 3; canum autem curam non modo ‚*per artis*‘ maximi esse momenti explicat, sed etiam ‚*primam*‘, i. e. primis illis temporibus ortam esse, quibus violentia illa (v. 9) sive vehementia inconsulta sola utebantur, arte carebant. Huc id quoque pertinet, quod Hagnon, cum loro canes ducere instituit, qui antea soluti ‚*nudo Marte*‘ cucurrerant,

Meleagrum Atalantae adiungeret, ut posteriores omnes Euripidem sequebatur, qui Melanionem removerat, ut Meleagrum amore venatricis illius superbae captum inducere posset (cf. A. Surber, Die Meleager-sage, diss. Tur. 1880 p. 99. C. Robert, Die griechische Heldensage I 1920 p. 98 s.). Quid igitur? Is qui Melanionem in venatorum Calydoniorum numero rettulerit (Euripidis alioqui non ignarus, cf. Baehrens, Herm. LXII 1927 p. 128 n. 1), tragoediam illam Euripideam non novisse videtur; quod quatenus eo valeat, ut quo tempore prooemium Cynegeticum Xenophontei scriptum sit perspiciamus, videant alii.

¹) Gratti Cynegeticum quae supersunt ed. P. J. Enk, 2 partes, Zutphaniae apud W. J. Thieme 1918.

²) In codice Vindobonensi est: non nulla partis, quod egregie Sannazarius correxit. Clausula ‚*per artem*‘ (sive ‚*tis*‘) exstat apud Lucr. IV 847. V 10. Verg. Georg. I 122 (Aen. VI 663 et saepius).

artem quandam eamque gravissimam invenit (cf. v. 255). Omnino Grattius multus diligensque in eo discrimine, quo alterum venationis genus ab altero internoscit: ,artis' vocabulo consulto in suo carmine saepissime utitur et singulari et plurali numero atque hoc ipsum ,suum munus' praedicat (v. 65), quod canendo hominibus largiatur.

Iam vero exordii memor si quem deum sive Prometheum hanc artem venandi hominibus ,inconsultis' (cf. Aesch. Prom. 456) monstrasse opinaris, magnopere falleris. Grattius ad eam de cultu humano sententiam accessit, quae a philosophis rerumque scriptoribus inventa variisque modis excultam pridem omnium in ore erat¹⁾, versibusque sequentibus narrat ex eo errore, qui olim non tantum in bello ferino, sed etiam ,in omni vita' fuerit, homines ratione usos ad rectum ordinem pervenisse et sicut ceteras artes ita venatoriam didicisse. Sed hanc sententiam integram non reliquit: ita veterum fabularum studio atque fortasse etiam ,patriorum divorum'²⁾ religione tenebatur, ut eorum laudibus in hac re obtrectare nollet; quocirca ea, quae veteres de donis divinis narraverant, minime sprevit, sed (ut v. 463 s., cum naturam ipsam artem suam alere doceret, deum tamen auctorem praedicavit) in prooemio confirmavit, quod per totum carmen observaturus erat, deum artibus ,primum auspiciam altaque circa firmamenta' dedisse, i. e. artes quasi condendas curasse firmaque posuisse fundamenta, ut homines paulatim eas excolerent et ad suum quamque finem perducerent³⁾. Hac igitur ratione ei contigit, ut philosophorum doctrinam cum religione antiqua in gratiam restitueret fabularumque argumenta poetica carmini suo reservaret. Quam rationem a Grattio non esse inventam vix est quod moneam; iam dudum enim fuerant, qui paulatim homines ad meliorem vitae statum enisos esse concederent et tamen deos aliquas partes in cultu humano promovendo

¹⁾ Postremus de hac sententia in universum scripsit W. Graf Uxkull-Gyllenband, Griechische Kultur-Entstehungslehren, Berol. 1924 (Biblioth. für Philos. vol. XXVI); cf. etiam A. Busse, Mus. Rhen. LXXV 1926 p. 212 ss. Neue Jahrb. III 1927 p. 129 ss.

²⁾ V. 453. Enk cum hoc loco contulit Catull. 64, 404, tu potius confer Cic. Verr. IV 132: ,omnes religione moventur et deos patrios, quos a maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter et retinendos esse arbitrantur.'

³⁾ Cf. J. van Wageningen, Museum (Maandblad voor Phil. en Geschied.) XXVI 1919 col. 172.

habuisse variis modis probare studerent. Atque philosophi quidem humanae rationi singulas artes, ipsam rationem deis deberi vel aliquo modo a divina ratione pendere monebant; quid igitur mirum poetas, cum hunc locum in suum usum converterent, libenter eo processisse, ut ipsos deos, quales fabula religioque popularis ferebat, homines, ut artes feliciter incoherentur, aliquatenus adiuvisse narrarent, Xenophanis sane immemores, qui diserte confirmaverat (fr. 18 D.):

*οὔτοι ἀπ' ἀρχῆς πάντα θεοὶ θνητοῖσ' ὑπέδειξαν,
ἀλλὰ χρόνῳ ζητοῦντες ἐφευρίσκουσιν ἄμεινον.*

Grattium Posidonio usum esse credunt¹⁾, neque dubium est, quin per eum philosophum omnis haec quaestio, quae ad cultus humani originem pertinebat, apud Romanos quoque mire vigere coeperit; sed ut ea quae in prooemio Cynegeticorum leguntur ab eius sententiis non abhorreant, tamen quae maxime eius propria fuerunt non inveniuntur, neque omnino Grattium cum de rebus tam vulgaribus scriberet libros philosophicos Graecorum ipsum adisse credendum. Immo similia de his rebus statuere mihi videtur poeta nescio quis aevi hellenistici, cuius vestigia in Grattii carmine tam crebra deteguntur, ut eo praecipuo auctore poetam Romanum per totum opus usum esse appareat²⁾. Sed latius patet haec quaestio quam quae in transcursu absolvi posse videatur; compares interim velim Cynegeticorum Oppianeorum libri alterius prooemium, quo Dianae beneficio Centauros³⁾ hominesque insignes venandi artes invenisse discimus (appellatur autem Diana: *εἰ δ' ἄγε μοι . . . εἰπέμεναι μερόπων τίς ἀγασθενέων θ' ἠρώων σῆς ἀπὸ χειρὸς ἄειρε μεγαλέα δῆνεα θήρης*, cf. etiam II 475).

Dianae igitur etsi non omnem venationem, at tamen artem venandi deberi Grattius non habebat cur negaret. Qui autem homines hanc artem sive singulas artes venatorias eius

¹⁾ E. Müller, Philol. LXII 1903 p. 68 s. W. Gerhäuser, Der Protreptikos des Poseidonios, diss. Heidelb. 1912 p. 29. Enk in commentario p. 4 s.; cf. etiam Uxkull l. c. p. 44 n. 9.

²⁾ Oppiano enim, qui trita imagine usus (cf. Callim. Ox. Pap. XVII 2079, 25 ss. R. Pfeiffer, Herm. LXIII 1928 p. 306) hoc modo deae verbis gloriatur (Cyn. I 20 s.): *ἔγρεο καὶ τρηχέϊαν ἐπιστείβωμεν ἀταρπόν, τὴν μερόπων οὐπω τίς ἐῆς ἐπάτησεν ἀοίδαϊς*, non magis confidendum quam Nemesiano Cyn. 8 ss.; magnum aliquid novumque se audere iam pridem poetae affirmare consueverant. Recte de hac re et alii iudicaverunt et F. Vollmer, PW s. v. Grattius col. 1844.

³⁾ Cf. Chironem Xenophonteum.

auspicio invenerunt? Frustra in catalogo Xenophonteo, frustra in ceteris libris, quos de re venatoria ab antiquis conscriptos habemus, nomina quaeres eorum heroum, quos Grattius in carmine suo laudavit, eximiae doctrinae exempla, quae unde comperit nisi a poeta illo hellenistico, quo auctore usus est? Chironis nomen desideras, damnat enim poeta doctus fabulam vulgarem atque Arcadum patrociniū suscipit, qui vernaculum perhibebant inventorem¹⁾ — Dercylum appellabant nomine ad artem eius idoneo, in quo auctor Graecus luisse mihi videtur (cf. v. 97 s. ‚in caecas aciem . . . tenebras egit‘). Eius laudes Grattius quamvis ita celebrare incipiat, ut Epicurum praedicari putes, tamen ‚industriæ‘ eius (cf. v. 12) non tantum tribuit, ut divino eum non eguisse auxilio putet, sed diserte confirmat deorum eum observantissimum fuisse ob eamque rem Dianae dignum esse visum, qui *suas artes* (‚tamquam mysteria‘ Enk, cf. Oppian. Cyn. IV 19) adiret et gentibus mortalium panderet. Alterum ‚inventorem‘ (qui primus cane inductore usus sit) Grattius v. 213 ss. nomine triplici anaphora repetito tantis laudibus effert, ut aliorum gloriae eum obtrectare velle suspiceris, hominem Boeotium Hagnonem Astyliden, cui ipsi quoque ‚divom favore‘ palma concessa est (v. 250). Dianam inter hos divos primam fuisse nisi consentaneum esset, fortasse ex v. 252 concludere liceret, ubi nomen Hagnonis tamdiu futurum esse legimus, quamdiu arma ‚Diania‘ terris maneant²⁾; certius tamen argumentum ex nomine ipso duces, quod in numero castorum huius deae comitum etiam hunc heroem habendum esse testatur³⁾.

Sed Diana non fuit sola, quae homines venatores adiuveret, ‚comites‘que suos arcu Lyciaque pharetra armaret (v. 124 s.)⁴⁾:

16 ‚adscivere tuo comites sub nomine divae
centum‘.

¹⁾ Recte H. Schenkl, Jahrb. f. cl. Phil. vol. suppl. XXIV 1898 p. 427. Vollmer mihi non persuasit, quo iudice Dercylus fuit ‚Iovis Arcadii hypostasis, qualis alibi Aristaeus aut Chiron.‘ Aristaeum Arcadium, quem Nonn. Dion. V 229 ss. venationis inventorem habet, eundem atque Dercylum esse Barth et Wernsdorf putaverunt.

²⁾ Non bene P. H. Damsté, Mnem. LIII 1925 p. 302 s., ‚Diana, tueris‘ coniecit. De mensura vocabuli ‚Diania‘ cf. F. Marx, Molossische und bakchische Wortformen, Lips. 1922 p. 22.

³⁾ De nominibus a vocabulo ἀγνός ductis cf. Ed. Williger, Hagios, Giss. 1922 p. 69 ss. Pater Astylus nomen ab urbe habet; Vollmer post alios comparat Centauri nomen apud Ov. Met. XII 308.

⁴⁾ Comites autem non recte Vollmer ‚omnes venatores‘ interpretatur.

maxime¹⁾ timenda fuisse philosophi demonstrabant (cf. Lucr. V 982 ss.). Carmine igitur et arma et artes venandi scripturus est, ab armis autem exorditur:

24 armorum casses plagiique exordia restis⁴.

Egregie hunc versum Buecheler et Vollmer, Musée belge II 1898 p. 232, ex codice Vindobonensi emendaverunt, quem qui exaravit scripturam traditam diligentissime conservavit quamvis non intellectam (exordiar estis). In eo tamen Vollmero itemque Enkio, qui eum secutus est, adstipulari non possum, quod ,prima⁴ vocabulum v. 25 initio traditum ad ,exordia⁴ rettulerunt et subiectum esse verbo ,iubent⁴ contenderunt, structura sane audaci atque satis dura (casses, armorum <exordia>, et restes, plagii exordia prima, iubent tenui filo limbum iungere⁴). Id enim luce clarius esse puto verbum ,iubent⁴ hoc loco non aliter positum esse atque v. 58 ,vetant⁴ (cf. Enkium ad hunc versum) et v. 90 ,iussere⁴. Vocabulum autem ,prima⁴ quod pro adverbio sumitur, ne ego quidem contendo hunc usum esse latinum; quodsi Valerii Flacci versum primum aliter explicandum esse Vollmer recte intellexit, Grattius unus e Latinis Graecum adverbium *πρῶτα* imitatus est: certum enim id habeo cetera v. 25 vocabula recte tradita esse, ipsum autem vocabulum ,prima⁴ utique nec immutari posse nec alio referri nisi ad sententiam sequentem, cum huic vocabulo v. 28 respondeat vocabulum ,tunc⁴. Quid igitur? Versus 24 sententiam habet ab omni parte absolutam; intellegenda solum copula ,sunt⁴, quam saepissime a Grattio omitti non est quod exemplis confirmem. Vocabulo autem ,exordia⁴ duo genetivi attributi sunt (et ,armorum⁴ et ,plagii⁴), quorum utrique suum praedicatum respondet (,casses⁴ et ,restis⁴). Voce autem exquisitissima quae est ,plagium⁴ poeta vocem ,cassis⁴ quodammodo repetivit; saepius enim iterando vocabulo gravissimo duo enuntiata inter se conectit, quo artificio his tribus versibus ter usus est:

22 et non sine *carmine* iussus

carmine et *arma* dabo et venandi persequar artis.

armorum casses plagiique exordia restis.

¹⁾ Cf. Gratt. v. 13 s.: ,trepidam bello vitam ferino, qua primam quaerebat opem⁴, i. e. ,qua ex parte homines maxime auxilii indigebant⁴ (Enk). Falso van Wageningen l. c., cum vocabulum ,primam⁴ non recte intellegeret, v. 14 leviter mutatum sic explicavit: ,quo (sc. bello ferino) primam quaerebat (vita) opem⁴ = ,initio se sustentabat⁴.

In hoc tertio versu autem synonymo illato subtiliore ratione lusum renovat. In eo etiam quaesita elegantia Grattii apparet, quod vocabulum ‚exordia‘ sensu variat: armorum enim exordia sunt casses, quia in explicandis armis hinc exordiendum est, restis autem proprie exordium plagii est, quod in plagio conficiendo a reste exordiendum est. Id denique monendum formam quae traditur ‚restis‘ non pluraliter, sed singulariter dictam esse non aliter atque ‚plagium‘ ipsum, (qua in re rursus poetam varietati studere videmus); ‚restis‘ enim est, quae v. 27 ‚linea‘ dicitur iunctis quattuor limbis confecta, eademque v. 26 ‚tormentum‘ vocatur, siquidem Vollmer recte hoc vocabulum interpretatus est.

A v. 24 igitur Grattius mediis in rebus est: id argumentum, quod hoc versu indicavit, sequentibus versibus exsequitur¹⁾. At vero Enk non v. 23 prooemium concludi arbitratur, sed Vollmero auctore v. 61—74 versui 23 subiunxit et ipse praeterea v. 73 atque 74 inter v. 68 et 69 locum habere decrevit. Falso hoc quidem! Nam cum v. 61—74 poeta id habeat propositum, ut ostendat, quanta sit cura opus in venatione tam periculosa, veterum proponit heroum pugnas, qui arte carebant. Magno nimirum Adonidi et Ancaeo constitit hoc opus, cum sine eo munere, quod poeta daturus est, i. e. sine arte venandi cum bestiis configerent. Atque illi quidem pugnantes ceciderunt, tertius autem, quem poeta v. 69—72 allegat, Hercules, cum non ceciderit, Enk eius exemplo non rudis illius venationis pericula, sed artis venandi utilitatem probari animum induxit; posuit ergo v. 73 et 74 ante v. 69—72, ut ex Herculis rebus bene gestis legentes cognoscerent, quae ‚gratia responderet ab artibus‘. Et temporibus iam satis antiquis Herculem sibi fingere coeperunt in hoc vel illo labore peragendo dolis usum vel eis armis, quae inter artis instrumenta Grattio numeranda erant; sed qualis tot poetarum carminibus, tot artificum operibus oculis animisque proponebatur, claviger ille heros leonis pelle amictus, nonne priscae venationis tam luculentum praebuit exemplum (cf. Lucr. V 975), ut iure Grattius posteriorum fabulis neglectis ad antiquam veramque historiam rediisse videatur? Vocabulo igitur quod est ‚ipse‘ duobus illis venatoribus priscis tertium

¹⁾ Titulum igitur ‚de retibus conficiendis‘ loco haud ita falso in codice post v. 24 positum esse apparet.

addit eumque fortissimum, quin etiam deum, qui ipse quoque ,magna mercede' bestias persecutus sit. Is enim, cum mare, terra, Orcus eum ,passi' i. e. sine magno labore ab eo victi essent, ex venationis opere ,decus et famae primum (i. e. summum, cf. v. 229) impetravit honorem', scilicet quia feras ne tantus quidem pugnator sine maximo labore periculoque vicit. Hanc sententiae partem plane necessariam a Grattio omissam esse non mirum videtur¹⁾, praesertim cum facile ex contraria sententiae parte (v. 69—71) intellegatur; vox autem ,mercedis' quod in tertio exemplo non mortem, sed laborem spectat, hoc quis non maxime aptum ducet arti Grattianae? Herculis igitur virtute, ut bestiae vincerentur, olim opus fuit: nunc quae spes esset mortalibus tanto minoribus, nisi ars praesto esset, quae illi defuerat? Aptissimam ergo conclusionem facit poeta v. 73s.:

,Exige si qua meis respondet ab artibus ergo
gratia quae vires fallat conlata ferinas!'

In fallendo igitur ars venatorum posita est eaque cura, quae nisi adhibetur, maius hoc opus est, quam quod tangi possit. Ea autem huius artis commendatio, quae v. 61—74 continetur, in prooemio si legeretur, sane loco haud inepto legeretur, sed consulto mihi quidem mediam in eam partem inculcata esse videtur, qua armamenta describuntur ,fraudis plena (cf. v. 45. 91) maximeque ad fallendum idonea. Id enim poeta propositum habebat, ut operam suam tanti esse demonstraret atque minutias suas (cf. v. 150s.), quin etiam omne venandi studium quasi excusaret monendo tantam esse curam adhibendam, ne ea ipsa aetate homines bello ferino non minus vexarentur quam heroes illi prisci. Quod autem v. 61 novum argumentum parum aperte cum antecedentibus conectit, in transitu faciendo Grattium omnino non satis felicem videmus: id tamèn non erat timendum, ne quis legentium ,magnum opus' retium confectionem dici putaret, de qua antea actum erat, praesertim cum tam saepe in hoc carmine venatio ,opus' vocaretur. Maxime vero id Grattii et hoc loco et alibi intererat varietate legentes delectare, qua in re aevo q. d. hellenistico ars poetarum excellebat. Illo autem aevo cum studium venandi haud mediocriter viguerit, de his rebus neminem

¹⁾ Multo durius videtur, quod v. 283—285 sententiae partem gravissimam omisit.

carmen composuisse quis credat? Quisquis autem is fuit, quem Grattius auctorem secutus est, quamquam ei certe non servili officio paruit, tamen, si me audis, de venatione ille in universum haud aliter iudicavit atque Grattius. Eo autem ingenium eius maxime apparet, quod artis venandi deorum auxilio ab hominibus egregiis inventae fallacias proprias esse sibi persuasit, a priscorum hominum bello ferino eam non differre ratus nisi quod hac ratione tutius faciliusque eo perveniretur, ut bestiae exstinguerentur. Quam fuit ille diversus ab antiquioribus velut Platone, qui leg. VII p. 824 retia laqueosque a sua civitate omnino prohiberi voluit, sicut aliena haec erant a Macedonum virtute (Hegesand. ap. Ath. I p. 18 A). Atque ipse Posidonius, cum a sapientibus olim praesidia contra feras inventa esse demonstraret¹⁾, non de istis rebus, quae Grattio ‚tantae‘ esse videbantur²⁾, sed de ferreis armis videtur cogitasse; testis Seneca, qui epist. 90, 11 (cf. 41) haec scripsit: ‚In illo quoque dissentio a Posidonio, quod ferramenta fabrilia excogitata a sapientibus viris iudicat. Isto enim modo dicat licet sapientes fuisse, per quos <Verg. Georg. I 139s.>

tunc laqueis captare feras et fallere visco
inventum et magnos canibus circumdare saltus.

Omnia enim ista sagacitas hominum, non sapientia invenit.‘

Bonnae.

Ioannes Herter.

¹⁾ Cf. G. Rudberg, Forschungen zu Poseidonios, Upps. 1918 p. 64.

²⁾ V. 95 postquam de formidinibus, laqueis, pedicis locutus est, Dercylum ‚tantarum‘ rerum auctorem laudibus ad caelum tollit (ita tamen, ut simul de omni fere arte venandi cogitare videatur).